

pus, & Sanguinem Christi realiter in hoc Sacramento contineri. 2. nihil substantiæ panis, & vini post consecrationem remanere, & hanc conversionem Catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat. 3. totum Corpus, & Sanguinem Christi sub qualibet specie, & sub qualibet parte separata contineri. 4. in hoc Sacramento esse idem Corpus, & Sanguinem Christi, non solum, dum sumitur, sed etiam ante, & in hostiis, quæ post communionem remanent. 5. anathematizat eum, qui dixerit, vel præcipuum fructum Santissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios affectus provenire. 6. Esse adorandam latrā definit, publicèque adorandam, & Populo proponendam, festumque peculiare illius decernit celebrandum, & in processionibus deferendam. 7. licet in Sacrario reservari, & ad infirmos deferri. 8. Christum in Eucharistia exhibitum, non tantum spiritualiter manducari, sed etiam sacramentaliter, & realiter. 9. Adultos teneri communicare saltem semel in anno. 10. Sacerdotem celebrantem licet, se ipsum communicare. 11. non sufficere solam fidem ad benè communicandum. Hæreses, quas contra hoc Mysterium infernum evomit, latè afferunt Bellarm. & alii, breviter eas refert Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 405. Sacramentum igitur Eucharistiæ non est illius consecratio, nec sumptio, nec solum Corpus Christi, sed Corpus Christi sub speciebus contentum, adeò, ut tam species consecratæ, quam Corpus, & Sanguis Christi intrinsicè, & essentialiter hoc Sacramentum constituent. Sumptio tamen est applicatio: seu conditio ad hoc ut hujusmodi Sacramentum causet suum effectum. Et quidem qualibet species; imò, & quævis particula speciei est integrum Sacramentum, moraliter tamen, & in ratione Sacramenti est unum Sacramentum specie infima: quia ad finem specie infima unum ordinatur, & est unum signum rei sacræ: Nam, etsi physicè loquendo, tot sint numero Sacramenta, quot sunt numero species, vel etiam specierum partes; tamen quod per modum unius proponitur, & sumitur, cum ad unam spiritalem refectionem referatur, moraliter unum numero Sacramentum habetur. Si enim Sacerdos plures Hostias simul sumat, vel unam in plures partes divisam, non tamen idè dicitur plura numero Sacramenta suscepisse. Hostiæ verò in diversis in altariis, ut distincta Sacramenta rectè concipiuntur: Nam tunc in qualibet parte verificatur

adesse Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus consecratis, in quo stat Sacramenti essentia: Hinc rejiciendus venit Uvaldensis, qui docuit in solo Corpore, & Sanguine Christi stare Sacramentum: nam quatenus continetur non est sensibile: Deindè: quia Trid. docet, Corpus, & Sanguinem Christi hoc Sacramento contineri: similiter sunt rejiciendi Sorus, & Marsilius, qui tenent, solas species hoc Sacramentum constituere: quia Eucharistia est cibus coelestis, & præterea cultu latræ debet adorari. In hoc siquidem Sacramento, sicut in aliis, duplex materia invenitur, proxima scilicet, & remota, sed ordine inverso: Nam in aliis Sacramentis materia remota est res permanens, proxima verò est ejus usus, qui transit: in Eucharistia verò materia remota transit, scilicet panis, & vinum, proxima autem remanet, scilicet species panis, & vini. Materia igitur remota Eucharistiæ est panis, videlicet, triticus, non hordeaceus, vel alius hujusmodi: Et quidem debet esse aqua elementari, non rosacea, vel alia hujusmodi confectus, igni coctus, non oleo, vel butyro, &c. Insuper est materia hujus Sacramenti vinum, scilicet, de vite: non agrestis, nec acetum, nec quid simile. Ut ex *Matth. 26. Luc. 22. c. 1. de Sum. Trinit. Trid. sess. 22. de Sacrifi. Miss. cap. 1. l. 52. tit. 4. p. 1.* credunt Catholici. Vino quidem debet ex præcepto, non Divino, sed Ecclesiastico, & certè sub gravi obligante, non quidem ad valorem Sacramenti, sed ad ejus licitudinem, debet, in quam, admisceri pusillum aquæ in quantitate modicissima, id est, una, vel altera gutta, ita tamen ut sit sensibilis, & aliudè non excedat tertiam partem vini. Quod quidem fit ad significandam aquam, quæ cum Sanguine è latere Christi effluxit. *c. 6. h. t. vel unionem fidelium cum Christo. c. 7. de Cons. D. 2. Trid. sess. 22. de Sacrifi. Missæ, cap. 7. ibi: Monet S. Synodus. præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent: tum, quod Christum Dominum ita fecisse credatur: tum etiam, quia è latere ejus aqua simul cum Sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aqua in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius Populi fidelis cum Capite Christo unio representatur. l. 52. tit. 4. p. 1.* In Ecclesia autem Latina debet fieri consecratio in pane azymo: in Græca tamen in pane fermentato. *L. 52. tit. 4. p. 1. ibi: E este pan, a que llaman hostia ha de ser fecho de farina de trigo, amasada tan solamente con agua, sin*

levadura, & ibid. Greg. Lop. In utroque tamen fit validè consecratio in qualibet Ecclesia *D. Thom. & comm. DD.* Ex præcepto Ecclesiæ hostia consecranda debet esse in Ecclesia Latina forma orbiculari, & integra, ita ut in diametro circiter quatuor pollices adæquet. Ea namque, quæ pro communionem Sacerdotis consecratur in Missa suscipienda debet esse quasi quadruplo major ea, quæ pro Laicis consecratur. Græci verò quadratam hostiam adhibent, & in particulis triangularem, ut habet Arcudius. Et quidem de Jure Divino est, quod Sacerdos simul consecret panem, & vinum, & numquam ei licet ex intentione unam speciem sine altera consecrare: validè tamen una sine altera semper consecratur. Papam posse dispensare, quin, & de facto Innocent. VIII. dispensasse, ut in Norvegia solum panis sine vino consecratur: quia ibi vinum statim congelatur, vel in acetum convertitur, refert *Machado*. Alii tamen hoc communiter negant. Per accidens tamen potest consecrare: validè tamen una sine altera semper consecratur. Papam posse dispensare, quin, & de facto Innocent. VIII. dispensasse, ut in Norvegia solum panis sine vino consecratur: quia ibi vinum statim congelatur, vel in acetum convertitur, refert *Machado*. Alii tamen hoc communiter negant. Per accidens tamen potest consecrare: validè tamen una sine altera semper consecratur. Sacerdos post unam consecratam moriatur, & nullum alius adsit Sacerdos, qui perficere possit Sacrificium: si alius adsit potest supplere, & Sacerdos si fortè sit infirmus, possitque communionem suscipere debet hostia dividi, eique pars dari. Idem est, si Sacerdos in amentiam, vel aliud impedimentum incidat. 2. si quis pro vino aquam, vel alium liquorem consecrasset, & non intelligeret defectum nisi diu post, vel non possit habere aliud vinum, vel etiamsi posset haberi aliud vinum, non posset jam eo uti sine periculo vite, vel gravi scandalo. 3. si hostia jam consecrata, subitum periculum mortis ab hostibus, vel incendio temeretur: debet tamen abesse scandalum, & contemptus fidei. Forma hujus Sacramenti pro Corporis consecratione in his verbis fiat: *Hoc est enim Corpus meum*, pro consecratione Calicis, seu vini, hæc est forma: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Matth. 26. v. 26. & 28. l. 54. r. 4. p. 1.* Essentialitè tamen solum hæc verba requiruntur: *Hoc est Corpus meum. Hic est Calix Sanguinis mei.* Vel *Hic est Sanguis meus.* Cætera autem sine gravi peccato nequeunt omitti: sed non sunt ad valorem necessaria. *D. Bonav. Suar. Bellarm. & alii.* Et sanè prædicta verba, vel alia eis æquivalentia, non solum recitativè, seu historice, sed formalitèr, significantivè, & asser-

tivè debent in persona Christi profèrri. Quamvis verba præcedant, tantum historice, sive recitativè dicantur, ut ex eorum seriè constat: *Fregit, deditque Discipulis suis dicens, accipite, & manducate, &c.* In sequentibus formis non fit mutatio substantialis, ac profundè quamvis illicita, valida tamen erit consecratio. 1. si Sacerdos dicat: *Hic cibus, hic potus, hic Calix, vel hæc res, vel contentum sub his speciebus est Corpus meum, vel Sanguis meus.* 2. *Hic Calix est novum Testamentum in Sanguine meo.* 3. *Hoc est meum Corpus, Hic meus est Sanguis: vel hoc est Sanguis meus: vel si addat, Hoc est Corpus meum quod de Virgine sumpsit: Hic est Sanguis meus infiniti valoris.* Vel quid simile. Dubia erit consecratio sub his formis: *Illud est Corpus meum: Iste est Sanguis meus.* Vel: *Hæc est Caro mea.* Invalida erit consecratio sub his formis: *Hoc est Corpus meum: Hic panis convertitur in Corpus meum: Hic ponitur Corpus meum: Hoc est substantia mea: Hoc est Corpus Christi.* Vel *Eccce Corpus meum: Ecce Sanguis meus: Hoc Corpus est meum: Hic Sanguis est meus: Hic (adverbiale) est Corpus meum:* Si tamen *hic* ponatur masculinè pro neutro, valida erit consecratio. Pronomina etenim *Hoc*, & *Hic* designant ipsum Corpus, & Sanguinem Christi, quod sub speciebus continetur finita forma. Quasi dicatur, quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, est Corpus Christi. *D. Thom. in 3. p. q. 78. art. 5. in corp.* Substantia verò panis, & vini non annihilatur in hoc Sacramento, sed convertitur in Corpus, & Sanguinem Christi, & quidem statim, ac proposito incipit esse vera: & licet vi verborum solum in pans consecratione directè ponatur Corpus Christi, & in consecratione Calicis solus Sanguis directè ponatur: tamen in qualibet specie, imò, & in qualibet particula est totus, & integrè Christus Dominus, quin, Pater, & Spiritus Sanctus per concomitantiam. Et sanè Christus manet in speciebus, etiam divisus, & sub quamvis earum particula, licet minima, & imperceptibili; donec tanta fiat earum mutatio, ut consueta substantia panis, & vini corrumpere. In Laico quidem species regularitèr corrumpuntur intra minutum, in Sacerdotem tamen intra medium quadrantem, vel saltem intra quadrantem: si alium non suadeat infinitas, vel stomachi debilitas, *Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 469. & alii com.* Materia consecranda debet esse certa, & ab intèntione consecrantis, & in individuo determinata: hoc namque requirunt

pronomina *Hic*, & *Hoc*. Deinde debet materia esse moraliter, & sensibiler præsens Sacerdoti: alias non possent verificari pronomina *Hic*, & *Hoc*, quæ quidem demonstrativa sunt. Hinc non potest consecrari materia posita post parietem, nec à tergo, nec clausa in tabernaculo, vel quæ valde distans, & procul est: v. gr. ad centum passus, etiamsi videri possit: nec item materia tam modica, quæ sensu nequeat percipi: si scilicet non sit in toto, sed extra illud, quia tunc non posset demonstrari: tunc etiam, quia Sacramentum debet esse signum sensibile: Si tamen sit in toto, quælibet; etsi minima particula, consecratur. Valide tamen consecrantur vinum in calice cooperto, vel in vase clauso, panis in canistro, hostiæ in ciborio, vel in cumulo sub aliis latentibus, vel tectæ sub corporali, vel mappa, vel in Missali. Item à Sacerdote in tenebris, vel cæco valide consecratur materia præsens.

392 Solus equidem Sacerdos est huius Sacramenti Minister quoad consecrationem. *Luc. 22. v. 19.* ibi: *Hoc facite in meam commemorationem. c. 1. de Sum. Trinit. Trid. sess. 22. de Sacrific. Missæ. c. 1. l. 57. tit. 4. p. 1.* Et quidem etiamsi excommunicatus, vel degradatus sit, potest valide panem, & vinum consecrare. Deinde, ipse solus Minister, quoad dispensationem ex proprio officio. *c. 29. de Cons. D. 2. Trid. sess. 13. de Euchar. Sacram. cap. 8.* ex commissione tamen etiam aliquando Diaconus potest Eucharistiam administrare. Clericus Diacono inferior, & à foriori Laicus solum in casu extremæ necessitatis possent hoc Sacramentum ministrare. *Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 480. & alii com.* Semper equidem in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent, quæ quidem consuetudo tamquam ex traditione Apostolica descendens iure, ac merito retineri debet. *Trid. sess. 13. de Euchar. cap. 8.* Et quidem Laici solum sub una specie, panis scilicet, communicare debent: & ita ab antiquo observat Ecclesia, & à *Trid. sess. 21.* definitum est, non debere omnes, & singulos Christianos, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis Eucharistiam sub utraque specie sumere. Longiorem de his disputationem controversis relinquimus, dum ad alia properamus. Eucharistia etenim tripliciter potest à fidelibus sumi. 1. *purè spiritualiter*, si, scilicet, quis viva fide excitatus hoc

Sacramentum dignè suscipere desideret, 2. *purè materialiter*, scilicet, præcisè hostiam accipiendo, quomodo eam sumerent homines non baptizati, vel etiam ipsæ bestia, si hostiam consecratam manducaerent. 3. *sacramentaliter*, scilicet, si homo viator, & baptizatus ore sumat hostiam, & in stomachum trajicit: potestque hoc fieri sine fructu, si scilicet talis indignè sumat, & tunc purè sacramentaliter sumet, vel potest fieri cum fructu, si scilicet, dignè sumat, & tunc sacramentaliter, & spiritualiter sumet. *Trid. sess. 13. de Euch. cap. 8.* Eucharistia insuper solum Christianis debet ministrari, non tamen infidelibus, etiam catechumenis, quia nondum per janam baptismi sunt in Ecclesiam ingressi. Olim, etiam infantibus solebat tribui. *Trid. sess. 21. de Commun. cap. 4.* secus hodie, quia nec est absolutè necessaria, nec eam debita possunt recipere reverentia: imò ex hac ratione, nec pueris debet tribui, etiamsi ad annos discretionis pervenerint, & præcepto confessionis obligentur, quosque decem habeant annos: Vel potius hoc arbitrio Confessarii relinquendum est. In articulo tamen mortis, cum ad annos discretionis pervenerint, & præcepto confessionis obligantur, etiam Eucharistia per modum Viatici ipsis debet ministrari. Nec item tribui debet perpetuo amentibus: si autem post usum rationis in amentiam inciderunt, & nunc constat graviter peccasse solum per modum Viatici in mortis articulo tribuitur. *c. 7. c. 8. 26. q. 6.* Semifatus, mutis, & surdis, si illum coelestem cibum à profano discernant, etiam in Paschate debet tribui. *Arg. c. 12. de Pœnitent. & remission.* Emergentes, quando non torquentur, & abest irreverentia periculum sæpius potest concedi communio. Et sic vidi Salmantica praticari cum quadam muliere, cuius corpus Lucifer, alique Dæmones miserabiliter possidebant. Dispositio quidem ex parte animæ ad Eucharistiam suscipiendam est status gratiæ: undè qui conscientiam peccati gravis habet, sacrilegè accedit, nec est est, per contritionem procurare gratiam, sed est necessaria confessio. Ut *ex 1. ad Corinth. 11.* decidit *Trid. sess. 13. cap. 7.* ibi: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Idem est de Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, modo non desit illis Confessoris copia. Si tamen necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit in mortali-

li existens, quam primum confiteri debet. *Trid. sess. 13. de Euchar. cap. 7.* & quidem sub gravi præcepto, ut constat ex *prop. 38.* inter damnatas ab *Alex. VII.* quæ sic agebat: *Mandatum Trid. factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi, quam primum, est consilium, non præceptum. Lacr. lib. 6. cap. 1. ex n. 543. Suar. & alii com.*

393 Ex parte corporis, debita etiam requiritur dispositio, ad Eucharistiam suscipiendam: Et quidem ex constitutione ab Apostolis profecta requiritur, quod communicans sit jejunus, non quidem jejuni tantum Ecclesiastico, sed naturali, quod quidem à media nocte usque ad Eucharistiæ assumptionem progreditur: Profectò hoc jejunium frangitur per quamcumque trajectionem cibi, vel potus in stomachum, etiamsi res minima sit; v. gr. gutta vini, aquæ, olei, vel medicinæ. *c. 49. de Cons. D. 1. c. 54. de Cons. D. 2. c. 5. h. t.* non tamen frangitur hoc jejunium, si saliva, vel sanguis à naribus, vel capite defluat in stomachum, vel si frustulum ligni, vel unguis deglutitur, vel si reliquæ cibi remanentes in ore casualiter transglutiantur: nec illud frangit sumptio fumi ex tabaco, vel pulvis ejusdem per nares attractus: nec si gutta aquæ salivæ immixta in ablutione ad stomachum perveniat: & juxta aliquos nec gutta juseuli salivæ admixta. Si aromata, vel folium tabaci, vel herbæ, quæ hic dicitur *buvo*, quis ori ex causa imponat, masticet, vel gustet, si nihil transmittat non frangitur jejunium, sed byum masticare, præterquam quod indecens est, magnum periculum frangendi jejunium affert. Uno verbo nihil potest ante Eucharistiam sumi, quod habeat rationem potus, cibi, vel medicinæ: quod si hanc rationem non habeat, utique potest absolutè sumi, licet certè melius sit abstinere, quia aliquam habet indecentiam, ut sumptio fumi ex tabaco. *D. Thom. in 3. p. q. 80. arr. 8. ad 4. & cum ex com. DD. Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 550.* Potest tamen aliquando non jejunus Eucharistiam sumere. 1. per viam Viatici in articulo mortis, & non solum quando mors ex morbo provenit, sed etiam quando est ex iudicis sententia infligenda. Nam si Judex nolit, vel non possit expectare, donec reus jejunus sit, potest hic etiam non jejunus Eucharistiam suscipere: nam tunc præceptum Divinum Ecclesiastico prævalet. *c. 9. 26. q. 6. c. 93. de Cons. D. 2.* imò toties quoties solebat infirmus extra necessitatem communicare, potest in ea non jejunus Eucharistiam sumere: adeò

ut Sacerdos quotidie eam sumere valeat, ut aliqui tenent cum *Gobat* ob textum generalitatem. Ego certè hoc affirmare non audeo præcipue post Decretum *Innoc. XI. An. 1679.* modificans communionem quotidianam: sed cum valde variant Auctores in tempore designando pro repetitione sumptionis Eucharistiæ per modum Viatici: optima regula erit, seclusa necessitate, sequi timoratum consuetudinem. *Lug. de Euchar. D. 15. tit. 3. & alii.* 2. si Eucharistia sit in sacrilegas infidelium manus devoluta, vel incendio sit abscondita potest à non jejunis, etiam Laico, sumi. 3. Sacerdos non jejunus potest Eucharistiam sumere, si ad id sacrificii perficiendi necessitas compellat: v. g. si post Canonem Sacerdos deficiat, tunc namque potest alius non jejunus, si jejunus non inveniatur Missam prosequi, vel si loco vini in calicis consecratione ponatur aqua: nam tunc ea assumpta debet Sacerdos vinum consecrare, & non obstante violatione jejunii per sumptionem aquæ, prosequi Missam. Etiam eam prosequitur, si post consecrationem recordetur, non esse jejunum: secus est, si ante consecrationem recordetur, nam tunc si potest sine gravi scandalo abrumperè Missam: Deinde, si post ablutionem aliquæ reliquæ hostiæ remaneant in corporali, vel patena, imò & integræ hostiæ ex eodem, & non improbabiler, etiam ex diverso sacrificio, possunt sumi à Sacerdote cum idem moraliter sacrificium, vel communionem compleat. Et *Card. de Lug. de Euch. D. 14. p. 4. n. 82. & alii.* non damnant Sacerdotem, qui particulam inventam absumit priusquam sacras vestes exuat. Regulariter tamen si hæ particulae inveniantur, postquam Sacerdos ab altari recessit, cum jam convivium finitum sit, non debent à Sacerdote sumi, sed servari, donec à jejunis sumantur, nisi periculum indecentiæ subsit: quia plures Missæ eodem die non essent futuræ, & Sacramentum, non solet servari: nam tunc minor indecentia erit sumere, quam asservare. Si pars hostiæ post sumptam ablutionem adhaereat palato, aut calici, quamvis Missale permittat, quod ad labium calicis digito attrahatur, & sumatur ante ablutionem, potest etiam nova ablutione propelli, & hac ratione excusantur, qui diu hostiam in ore retinentes, casu aliqui ablutionis præmittunt: spontè tamen id facere non licet. Non tamen potest Sacerdos non jejunus, ut moriturum communicet, Eucharistiam consecrare, teste universali praxi

Ecclesia, nec præceptum Viatici obligat, quando ritè dari nequit, cum potius ratio Sacramenti, quam aliqualis necessitas proximi habenda sit, quidquid alii sentiant: quamvis Sacerdos morti proximus possit non jejunis celebrare, sicut posset ab alio non jejunis Viaticum accipere. Etiam posset non jejunis celebrare, ad vitandum mortis periculum, sicut posset sine altari, vel calice consecrato, vel sacris vestibus celebrare: dum hoc non in fide contemptum exigatur. Sic *tom. DD. cum Laer. lib. 6. p. 1. ex n. 150.* ubi Doctores hoc latius tractantes, videri possunt. Pollutio tamen, etiam voluntaria, si confessione expietur, non debet à communione arceri: & à fortiori nec involuntaria, vel etiam licita inter conjuges habita. Aliquando tamen ob decentiam iudicio Confessarii abstinerebunt: & sic intelligitur *Text. in C. 1. 33. q. 4. ibi: Si panes propositionis non poterant ab iis, qui uores suas tetigerant, comedi, quanto magis panis ille, qui de Cælo descendit non potest ab his, qui conjugalibus paulò ante hæere complexibus violari, atque contigi: non quod nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus) sed quòd tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.* Vel potest hic *Text.* intelligi cum D. Thoma de Ecclesiæ Ministris conjugatis, quales sunt Gracii Latè de hoc *Sancti de Maxim. lib. 9. D. 13.*

394 Venimus tandem ad tertiam Rubricæ partem, in qua de *Divinis Officiis* agitur. Nomine ergo Divini Officii in præsentia *Horæ Canonice* intelliguntur: quæ quidem jam à tempore Apostolorum in Ecclesia recitantur. *S. Clem. Const. Ap. lib. 8. cap. 30.* Nomine autem Divini Officii, vel Horarum Canonicarum non veniunt Officium parvum B. Virginis, nec Officium Defunctorum, quod in Breviario præscribitur pro die mensis non impedita, nec Psalmi Pœnitentiales, nec Graduales: nec ad prædicta quis extra Chorum tenetur, ut constat ex *Bull. S. Pii V. Quod à nobis*, quæ extat in principio Breviarum. In die verò Animarum, seu Defunctorum est obligatio gravis ad Officium Defunctorum, etiam respectu illorum, qui utuntur Breviario Romano, quia pars illius diei censetur. Sic *com. cum Suar. contra aliquos.* Etiam (probabilius) est mortale omittere Littanias in festo S. Marci, & diebus Rogationum. *Laer. lib. 4. ex n. 1239.* Officium igitur Divinum in Nocturnum dividitur, & *Diurnum*, eo, quod Antiqui noctem dividebant in quatuor Vigiliis, & diem in quatuor Stationes, quarum singule tres horas diei naturalis continebant:

prima siquidem Vigilia, quæ à prima nocte incipiebat, primum Nocturnum dicebatur: secunda, quæ usque ad dimidiam noctem excurtebat, secundum dicebatur Nocturnum: tertia, quæ post dimidiam noctem incipiebat, tertium Nocturnum dicebatur: quarta jam propè Auroram Laudes recitabantur. Ab ortu tamen Solis prima statio, sive hora incipiebat, & post tres horas tertia sequebatur, quæ protendebatur usque ad Meridiem, à Meridie incipiebat sexta, & post tres horas nona, quæ usque ad Solis occasum pertingebat. Orto enim Sole primam, posteaque ceteras horas Officii Divini recitabant fideles. *Vesperæ* paulò ante occasum Solis: denique *Completorium* in vespere diei dicebatur. Sic deducitur ex *Matth. 27. ex n. 46. Luc. 12. n. 38. Censor. & aliis. Septem* igitur horæ sunt ab Ecclesia præscriptæ: scilicet. *Matutinum cum Laudibus. Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium.* Analogia quædam mystica ad septem Sacramenta, ad septem petitiones, quæ in oratione Dominicæ continentur: ad septem dona Spiritus Sancti. Et quia viri Sancti ut David, & alii in hoc numero orabant. Nam cum septies in die cadat justus, expedit septies etiam orare, & præter alia hujus numeri mysteria, septem horæ merito censetur statuta, quia hic numerus Passionis Dominicæ apertè correspondet: nam Christus Dominus nocte captus est, hora prima illusus, tertia ad crucem damnatus, sexta crucifixus, nona mortuus est, vespere depositus est de cruce, hora denique completorii sepultus fuit. Propterea adoratio, seu oratio ad Deum in quocumque loco, & quocumque situ Corporis fieri potest. *D. Th. 2. 2. q. 84. art. 2. ad 2. ibi: Sicut oratio primordialiter est in mente, secundario autem verbis exprimitur, ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reverentia consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis: sicut genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum: prosternimus autem nos, quasi proficientes nos nihil esse ex nobis. Et art. 3. ad 2. ait: Quod determinatus locus erigitur ad orandum, non propter Deum, qui adoratur, quasi loco concludatur, sed propter ipsos adorantes, & hoc triplici ratione. 1. quidem propter loci consecrationem, ex qua spirituales devotionem concipiunt orantes, ut magis exaudiantur, sicut patet ex oratione Salomonis. 3. Reg. 8. 2. propter Sacra mysteria, & alia sanctorum signa, quæ ibi continentur. 3.*

prop.

propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, secundum illud *Matth. 18. ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et postea ad 3. ait: *Secundum quædam decentiam, adoramus versus orientem. 1. propter Divinæ Majestatis indicium: quod nobis manifestatur in motu Cæli, qui est ab Oriente. 2. propter paradysum in Oriente constitutum, ut legitur Genes. 2. secundum litteram Septuaginta Interpretum, quasi queramus ad Paradysum redire. 3. propter Christum, qui est lux mundi, & Oriens nominatur Zach. 6. Et qui ascendit super Cælum Cæli ad Orientem, & ab Oriente etiam expectatur venturus, secundum illud *Matth. 24. sicut fulgur exit ab Oriente, & pariet usque ad Occidentem, ita erit, & adventus filii hominis.* His suppositis, cum horæ Canonice publicè dicuntur; in Ecclesia, cum hæc præcipuè in hunc finem sit constituta, recitari debent, e. fin. D. 92. & horis quidem competentibus. e. 1. h. l. 34. tit. 6. p. 1. ibi: *Los Clerigos deben decir las horas en la Iglesia, è los que no pudieren y venir, non deben dexar de decir las horas por donde estuviere.* Et sic fit in Cathedralibus, Collegiatis, & Conventualibus Ecclesiis: privatim tamen debent dici in quovis loco decenti, dici tamen possunt, in quovis, etiam sordido loco, non tamen decet, nisi causa urgente. *Suar. de Orat. lib. 3. cap. 7. n. 9. Laer. lib. 4. n. 1320.* Item potest quis horas recitare, stando, sedendo, vel deambulando, etiam quando juxta rubricas debet genuflectere: nam tales rubricæ tantum dant consilium ad devotionem habendam. *Suar. de Orat. lib. 4. cap. 27. n. 2. Laer. lib. 4. n. 1321.* Quoad tempus recitandi attinet, ad vitandum peccatum grave sufficit, quod officium dicatur à media nocte diei usque ad alteram mediam noctem: quod si causa urgente differantur, vel anticipentur horæ tempore consueto, nullum erit peccatum: si hoc sine causa fiat, erit veniale, si gravis inversio sit: talis censetur Matutinum sine causa ad Vesperam differre, vel dicere Vesperas, & Completorium ante prandium, & alia hujusmodi. Accuratum autem tempus recitandi sic communiter statuitur. Pro Matutino, & Laudibus à pridie Vespere usque ad horam post ortum manè Solem: pro prima, à tempore Auroræ usque ad horam undecimam: pro tertia ab ortu Solis usque ferè ad Meridiem: pro sexta, & nona, etiam ferè usque ad Meridiem: quamvis pro nona olim fuerit tempus circa prandium, aut etiam post illud. Vesperæ à Meridie usque ad Occasum Solis possunt recitari:*

pro completorio ab hora tertia post Meridiem usque ad medium noctis statuitur. Aliqui dicunt Matutinum pro die sequenti posse inchoari ab hora secunda diei antecedentis. Alii aliter; sed certè potest inchoari, quando Sol est propinquior ad Occasum, quam ad Meridiem: & jam juxta praxim timoratorum ab hora tertia incipi valere: Etiam in Vespere Animarum potest dici Matutinum cum Laudibus de Officio Defunctorum, Missam dicere, antequam Matutinum cum Laudibus recitetur, probabiliter nullum peccatum est; maximè si aliqua causa, licet non omnino gravis, subsit; numquam tamen est peccatum grave. *Suar. de Sacram. & aliis cum Laer. lib. 6. p. 2. n. 230.* Vespere in Quadragesima, tribus primis diebus exceptis, recitantur ante Meridiem: sed hæc Rubrica solum Chorum obligat, ac præcè privatum, possunt post prandium dici sine peccato: imò congruentius nunc esset, sic fieri. *Laer. lib. 4. n. 1316.*

395 *Innoc. III. in c. Dolentes, q. h. 1.* districte præcipit virtute obedientiæ, ut Divinum Officium Nocturnum, præterque Diurnum, quantum eis dederit Deus (scilicet fiat obligatione oneratis) studiose celebrent pariter, & devotè. Studiosè equidem recitabitur, non transcurrendo undique continuata synopca officium, sed integrè proferendo versus, & sensum, sine omissione, concisione, truncatione, nec interruptione. Devotè itidem recitabitur, si cum attentione, & intentione debita recitetur: ad debitam igitur recitationem plura requiruntur, & quidem 1. pronuntiatio vocalis exterior. Ea etenim est de præcepti substantia. Si cum socio quis recitet, (quod licitè fit, etiamsi ille ad horas non obligetur: nec interius attendat) debet pronuntiare ita, ut à socio audiatur: si solus recitet, debet sic pronuntiare, etiam summissa voce, ut possit se audire. *Suar. & alii cum Laer. lib. 4. n. 1294.* non tamen esse necessarium, quod se audiat, nec percipiat, quod recitat, sed sufficere solam verborum articulationem tenent. *Azor. in Instit. p. 2. t. 10. cap. 11. q. 4. Diana, Bonac. & alii.* pronuntiatio tamen debet esse integra, & facilius ob hunc defectum potest graviter peccari in Choro, ratione scandali, quam in recitatione privata. Si quis mutilat, vel absorbeat syllabas ex inadverentia, vel balbutie, vel inveterata consuetudine, quæ valde difficultèr possit corrigi, excusatur à peccato: quando mutilatio fit tantum in ultimis syllabis raro peccabitur: quia

ra

rarò mutabitur sensus. *Suar. Less. Laer. lib. 4. n. 1302. & alii.* requiritur intentio saltem virtualis orandi, quæ scilicet aliquando exitit, & adhuc non est revocata, sed perseverat saltem in virtute sua, scilicet, in applicatione potentiarum. 3. requiritur attentio, non quidem solum externa, id est, quod quis abstineat ab omni occupatione externa incompossibili cum attentione interna, sed insuper aliqua attentio interna est necessaria: hoc est, applicatio, & advertentia animi ad hoc, quod fit. Nam ab Ecclesia præcipitur oratio, quæ sanè nequit sine aliqua attentione interna consistere: & hoc pro praxi suadendum, & tenendum est: Sed cum hoc valde controversatur utrumque, aliis negantibus, affirmantibus aliis, utrumque per consequens probabile reputo, scilicet, & attentionem internam requiri, & sufficere solam externam; licet non æquali probabilitate: potest tamen hæc sententia solam externam attentionem requirere, quam defendunt Navar. Sylv. & Coninc, deservire pro scrupulosis, & etiam Confessariis, ne ad restitutionem fructuum obligent beneficiatos sine attentione horarum recitantes. Debet ergo recitans aliquam attentionem internam adhibere, saltem superficialiter ad verba: melius erit attentionem literalem ad sensum verborum, habere: perfectius denique erit attentionem spirituales ad Deum, ad quem oratio dirigitur, apponere. Hinc graviter peccat, qui spontè distractus nullam harum attentionum habuit: teneturque repetere, nec facit fructus suos, cum non possuisset opus præceptum, quod erat, ut oraret devotè. Qui ob mentis evagationem dubitat, an aliquid omiserit, si habeat probabilem conjecturam, se dixisse: quia v. g. in fine psalmi se repetit, vel quia initio attendere proposuit, se dixisse præsumere potest, si ex libro, vel memoria non solita errare dixit, proindeque non tenetur repetere, ut sic totum officium expeditius decurratur. *Laer. lib. 4. ex num. 1332.* ubi plures Doctores citat, diversaque sententias refert. 4. requiritur, quod una hora non interrumpatur notabili tempore, quod si fiat sine causa, erit tantum veniale, quia singuli psalmi, imò & fere versus, suam completam significationem habent. Si fiat ex iuxta causa, nullum erit peccatum, nec priora erunt repetenda, etiamsi animo repetendi interrupisset. Matutinum potest etiam sine causa tota nocte dividi à Laudibus, etiamsi unam horam constituent: hocque laudabile esse judi-

cant. *Suar. Navar. Sanch. Laer. lib. 4. ex n. 1304.* Denique non debet ordo horarum inverti, quod si cum causa fiat, nullum erit peccatum, sine causa tamen veniale erit: v. g. si quis recitet Vesperas ante primam; vel primam, aut tertiam, vel Vesperas ante Matutinam. *Laer. lib. 4. ex n. 1309.* Præterea: Horarum recitandæ in lingua, & Breviario Diocesis, vel Religionis, in qua recitans est, debetque recitare officium proprium sumptum ex Breviario, & de die, quo orat, & eo ritu, qui præscribitur. Non tamen est licitum recitare de Sancto, nisi sit in Breviario S. Pii V. vel à Papa, vel à S. Congreg. concessio. Si verò alicubi habeatur reliquia approbata insignis alicujus Sancti, uti sunt caput, brachium, crus, vel pars, in qua passus est Martyr modo sit integra, & non parva, potest de ea recitari, non tamen est præceptum. Et quidem Sanctus debet esse in Martyrologio Romano descriptus, & aliunde debet constare de identitate corporis, seu reliquie insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio descriptus: nec aliter satisfi præcepto recitandi, licet alias talibus reliquiis in Ecclesiis debita exhibeatur veneratio, ut constat ex *Decr. S. Cong. Rit. approbato à R. Pontif. 19. Octob. 1691.* & etiam in nostra Hispania admissio, & in Germania, ut assertit *Laer. lib. 6. p. 2. n. 2074.* potest creditur adhuc integra, licet pluribus fragmentis constet, si per unionem artificialem, ita partes copulerentur, ut appareat integra. *Laer. lib. 4. ex n. 1246.* Qui die Palmarum recitat officium Paschale non satisficit præcepto, ut constat ex prop. 34. Inter damnatas ab *Alex. VII.* in aliis diebus officium mutare, etiam sine causa, & prohibito, dum non frequentè, se rarò fiat non esse peccatum mortale alii contra alios tenent. Si tamen per errorem inculpatum quis unum officium pro alio recitet, etiam officium de festo pro Dominica non tenetur quidquam repetere. Nam substantiam præcepti implet. *Laer. lib. 4. ex n. 1250.* Si quis per errorem inceptit indebitum officium recitare, posse continuare errorem dicunt. *Quintam. & alii.* sed certius est, debere illum corrigere. Qui per errorem legit hodie de Sancto, qui cras collitur, non debet cras legere de Sancto hodierno: quia melius est semel, quam bis errare. Qui unam integram horam omittit, graviter peccat, etiamsi hora parva sit: v. g. si omittat Vesperas Sabbato Sancto. Idem videtur esse, si interruptum per totum officium omittatur quantum est una

par-

parva hora integra: qui minus omittit, quam totam parvam horam, non peccat graviter. Saltem tutum est, tertiam partem unius horæ parvæ, non esse materiam gravem: nec mortale erit omittere unum psalmum, Lectionem, vel quid simile. *Laer. lib. 4. ex n. 1201.* Innoc. XI. damnavit hanc prop. quæ est 54. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Divinum officium recitare tenentur. 1. Clerici, qui Sacros Ordines spontè receperunt. c. 1. c. 9. h. t. etiamsi irregulares, excommunicati, depositi, & degradati sint. Quia adhuc characterem retinent, & quidem à puncto Subdiaconatus suscepti incipit Clericus obligari ad horas respondententes horæ, qua ordinatur. In minoribus autem constituit, si beneficio careant, non tenentur ad horas. 2. obligantur Clerici beneficium Ecclesiasticum habentes, cum beneficium detur propter officium. c. fin. D. 92. c. 1. h. t. c. fin. de Rescript. in 6. & quidem tantum post adeptam beneficii possessionem, ut contra *Navar.* tenent *Suar. Less. & alii,* nec interest, quod beneficium tenue sit, nec congruam præbeat sustentationem: quia hoc onus satis, superque aliis honoribus, & privilegiis Ecclesiasticis compensatur. *Suar. lib. 4. de Orat. cap. 21. n. 3. & 9. Garc. de Benef. p. 3. cap. 1. n. 30. & alii contra Sor. de Justit. lib. 10. q. 5. art. 3. Les. & alios.* Secus esset, si nullos fructus haberet beneficium, nam tunc non esset beneficium: quod si beneficium sit tam tenue, ut tertiam partem mediocri sustentationis alicujus Clerici non adæquet, satis probabile est, beneficium non teneri ad recitandum, ut ex *Suar. Dian. & alii* afferunt *Busemb. & Laer. lib. 4. ex n. 1186.* Qui ex dispensatione non residet, ideoque fructus non percipit, probabiliter non tenetur ad horas: quia hæc obligatio est propter sustentationem. Si quis plura beneficia habeat, unica recitatione quotidie satisficit: quia licet ex pluribus titulis teneatur, ad unum tantum officium tenetur ex mente, & praxi Ecclesiæ, ac proinde omittens culpabiliter officium, unicum committit peccatum. Et quidem beneficiatus per se, non per alium debet recitare, ut clarè constat ex propositione 21. inter damnatas à *N. S. P. Alexandro VII.*

396. Nomine beneficii in præsentem non venit coadjutoria, etiam cum futura successione, & aliqua portione fructuum assignata. Nam coadjutor non beneficium,

sed jus ad beneficium habet. *Suar. de Orat. lib. 4. cap. 22. Garc. & alii,* nec venit Cappellania simplex, seu non collativa, quam Laicam dicimus, cum non sit Episcopi auctoritate erecta. *Laer. lib. 4. n. 1197. Suar. Garc. & alii.* Nec venit commenda tantum temporalis: secus perpetua, & Ecclesiastica: nec vicaria temporalis, secus perpetua. c. 27. de Rescript. Nec veniunt præstimoniam, quæ non habent annexum obsequium spirituale, nec in titulum conceduntur, secus alia. Nec venit pensio Laicalis, quæ v. g. tribuitur ædituo, janitori, vel cantori. Si verò sit Ecclesiastica, quæ in eam obtinente requirit primam tonsuram, obligat ad officium B. Virginis ex Const. S. Pii V. si aliunde pensionarius non recitet Divinum Officium. Beneficiatus ergo qui recitare omittit, justo impedimento cessante, præter peccatum grave, quod committit, fructus, tenetur restituere, ut constat ex Conc. Lateran. sub Leone X. & Const. S. Pii V. & si uno die totum officium omittat, tenetur restituere omnes fructus illi diei respondententes: si tantum Matutinum omittat, mediam partem fructuum unius diei restituet. Idem est, si reliquas horas omittat: si verò unam ex illis omittat, sextam partem restituet: talisque restituito faciendæ est fabricæ, vel pauperibus. Si verò ex oblivione, vel justo impedimento, vel bona fide, vel invencibili ignorantia, aut aliter absque culpa, omittat, non tenetur restituere: quia ubi non est culpa, non debetur poenæ: circa quod *Alex. VII.* has propositiones damnavit 20. *Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis eo, quod sit poenæ.* 33. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quasvisque elemosinas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.* Etiam dato, quod legens horas sine intentione interna graviter peccet, non tamen tenetur restituere, ut probabiliter tenent. *Sor. Laer. lib. 4. n. 1213. & alii.* Cæteri Clerici beneficio carentes, & Religiosi graviter peccant recitationem omittendo, sed nihil restituere debent, quia nihil percipiunt. A recitatione tamen horarum excusant. 1. Pontificis dispensatio, etiam sine justa causa facta, quia est Lex Pontificia, in qua Pontifex libere dispensat. c. 4. de Conc. Præbend. *Suar. lib. 4. de Orat. cap. 28. ex n. 38.* Episcopus autem propriè non dispensat: cum Lex Superioris ab inferiori nequeat tolli: in dubio tamen Episcopus Legem Ecclesiæ interpretatur. Idem dicendum

dum est de Vicario Episcopi. Prælatum Supremum alienius Ordinis posse cum suis Religiosis dispensare tenent. *Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 37. n. 51. Bonac. & alii;* quod negat *Suar. lib. 4. de Orat. cap. 28. n. fin. & alii.* Generalis nostræ Societatis, & alii, quibus ipse committit, possunt commutare obligationem infirmorum in aliud opus pium, seu orationem levio-rem. *Laer. lib. 4. n. 1233.* 2. excusat obli- vio, & incogitantia naturalis. 3. infirmitas gravis, seu talis, quæ non permittat horas legi sine notabili valetudinis incom- modo, vel magno dolore, vel molestia: v. g. dolor capitis, vel oculorum. *Suar. de Orat. lib. 4. cap. 28. & alii. 4. cæcitas.* Nisi aliquam horam memoriter Clericus sci- ant eam recitare tenetur; *arg. prop. 54. ab Innoc. XI. damnata.* secus est, si tantum aliquos psalmos sciat. 5. Carentia in- culpabilis Breviarii, vel etiamsi culpabilis fuit, jam de ea culpa Clericus poenituit. 6. Necessaria, & repentina occupatio sus- cepta ex officio, vel charitate: v. g. si tu- multus subito exortus sedandus sit. Studium autem secundum se non excusat, etiamsi hic, & nunc sit necessarium, nec compossi- bile cum horis, ut constat ex prop. 21. damnata ab Alex. VII. quæ talis est. *Habens Capellaniam Collatam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfait suæ obligationi, si officium per alium recitet.* Concionatores, vel Confessarii aliquando ex benigna Eccle- siæ interpretatione possunt excusari. Si verò prævideant, se toto die esse confessioni- bus occupandos, recitationem anticipare tenentur. Etiam metus gravis prodicionis inter Hæreticos, allaque justa impedimenta à recitandis horis excusant. De quibus latè DD. præcipuè. *Suar. de Orat. lib. 4. c. 28.*

DECRETA S. CONGREG.

Rituum.

I Consecrator Ecclesiæ potest in actu consecrationis statuere aliam diem pro anniversario ejusdem Consecrationis 19. Februarii 1585. ante institutum Congregationem Sacrorum Rituum.

2. Dedicacionis festum extra actum conse- crationis non potest amplius mutari ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica. 16. Octob. 1604.
3. Si Ecclesiæ dedicatio occurrat in festo Nativitatis B. V. M. fiat de ea, Missæ duæ cantentur, & Infraoctavam fiat de digniori. 16. Octob. 1604.
4. Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis celebran- da quidem est in Diocesi sub Ritu duplici primæ clas, sed sine Octava. 2. Maii 1619.
5. Regulares tenentur quidem celebrare festum de Dedicacione Ecclesiæ Cathed- ralis, sed sub Ritu duplici secundæ clas sine Octava. 8. Aprilis 1662.
6. Regulares tenentur celebrare sub Ritu duplici primæ clas cum Octava festum de Dedicacione, & de Titulari Ecclesiæ illius Conventus, in quo morantur. 3. Junii 1681.
7. Eucharistia in festo Corporis Christi non est deferenda per vias Hebræorum. 22. Febr. 1669.
8. In festo SS. Corporis Christi non sunt canendæ cantiones vulgari Sermone. 21. Martii 1609.
9. In festo Corporis Christi non est defe- renda in Processione Eucharistia Sacerdotum humeris, sed celebrantis manibus. 2. Junii 1618.
10. In festo Corporis Christi deferatur Eu- charistia à celebrante, & in Vesperis diei Octavæ, si fiat processio deferatur ad eo, qui cantavit Vesperas modo saltem sit Canonicus in Collegiatis. 12. Junii 1627.
11. Si Episcopus in festo Corporis Christi non deferat Eucharistiam, Canonici tam- en induant Sacras Vestes. 17. Mart. 1628.
12. Ne fiat concio coram SS. Sacramento in altari exposito, capite lecto. 16. Febr. 1630.
13. Non convenit, quod prima Dignitas celebret Missam ante processionem SS. Sacramenti: & deinde altera Dignitas minor gestet illud in processione. 31. Jun. 1632.
14. Si festum SS. Corporis Christi incidit in Vigiliam S. Joannis Baptistæ, je- junium celebretur in feria quarta proxime præcedenti: de Vigilia verò nihil eo anno fiat. 24. Sept. 1638.
15. Infraoctavam SS. Corporis Christi non est agendum de officiis translatis Ritu duplici primæ clas non decoratis: ideoque si festum S. Antonii Patavini, quod apud Franciscanos celebratur sub

Ri-

- Ritu duplici secundæ classis incidit in prædictum festum de SS. Corporis Christi, transferatur post Octavam. 12. Jun. 1664.
16. Recitantes ex legitima concessione officium de SS. Corpore Christi in feria quinta per annum non impedita, illud recitare debent, ut præscribitur in die ejusdem solemnitatis. Missam verò ce- lebrare de communi, seu votivam. 12. Julii 1664.
17. Ad *V. Panem de Cælo* non additur *Alleluja*, nisi tempore Paschali, & In- fraoctavam Corporis Christi. 20. Jan. 1705.
18. In officio de die Infraoctavam SS. Corporis Christi non legitur nona lectio de festo simplici. Quod si festum illud sim- plex occurrerit eo die, quo fit de festo duplici infra eandem Octavam, tunc non omittitur, sed legitur nona lectio de eodem simplici: dummodò festum illud non sit duplex primæ classis. 8. Jun. 1669.
19. Infraoctavam SS. Corporis Christi non sunt dicendæ Missæ votivæ privatæ, aut de Requiem. 21. Jun. 1670.
20. Occurrunt eadem die duobus festis duplicibus Infraoctavam SS. Corporis Christi, non est de translatio agendum die immediatè sequenti, non impedita, sed post Octavam, nisi fuerit ex solemnioribus primæ classis. 7. Decemb. 1680.
21. In processionibus, quæ fiunt cum SS. Sacramento, qui incedunt ante illud in occurso, & transitu à latere ejusdem debent facere genuflexionem, dum- modo videant prædictum SS. Sacramen- tum. 1. Martii 1681.
22. In festo SS. Corporis Christi non est faciendâ processio cum Sacramento sine pluviali. 22. Jan. 1701.
23. In Tabernaculo ubi asservatur SS. Sacramentum, non sunt retinendæ reli- quiæ, nec vasa sacrorum Oleorum, nec aliud. 22. Febr. 1593.
24. Tabernaculum SS. Sacramenti in Ca- thedralibus non debet e se in altari majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt versis rebus ad altare. 28. No- vemb. 1594.
25. Ante ostium Tabernaculi SS. Eu- charistiæ, in quo depicta, vel insculpta est imago Salvatoris, non est retinen- dum vas florum, vel quid simile: sed collocandum in humiliori, & decentiori loco. 22. Jan. 1701.
26. Reliquiæ, quibus in Altari consecra-

Tim. I.

- tionem utitur Episcopus, debent esse Sanc- torum ab Ecclesia approbatorum. 13. Sept. 1593.
27. Altare portatile tunc consecrationem amittit, quando frangitur, vel loco mo- vetur repositorium Reliquiarum. 5. Mart. 1603.
28. Vicario Episcopi Missam cantanti so- lemnem, non ministrant Canonici, nec que fit circulus ante ipsum. 8. Martii 1595.
29. Episcopo absente non potest Vicarius Missas celebrare Conventuales, nec Pon- tificales. 16. Maii 1600.
30. Absente Episcopo spectat etiam ad Vicarium Generalem edicere, & diri- gere processiones cum consilio Capituli. 24. Aug. 1619.
31. Ad horas omnes, quæ recitantur in Choro ardeant in altari duæ saltem can- delæ. 7. Aug. 1595.
32. Matutinum in Cathedrali recitandum est manè, non autem Vesperì pro die se- quenti. 18. Oct. 1595.
33. Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione recitandum est manè die secunda Nov. non verò pridie Vesperì. 1. Sept. 1607.
34. Si consuetudo deferendi processionalitè SS. Sacramentum feria sexta Parasceves, in feretro nigris velleribus con- texto, non potest absque graviori in- commodo extirpari, est toleranda. 29. Mart. 1596.
35. Tolerari non debet, quod in locis pub- licis, & sordidis stent depictæ diver- sæ Cruces, ac Sanctorum Imagines in- derisum Christianæ Religionis. 22. Maii 1596.
36. Non sunt consecranda ea altaria, sub quibus recondita sunt defunctorum ca- davera. 8. Nov. 1599.
37. Si sub altari, vel sub ejus gradibus humata sint defunctorum cadavera, non est ibi celebranda Missa, donec alio transferantur. 10. Nov. 1599.
38. Corpora Sanctorum nondum Canonizatorum non possunt poni sub altari. 16. Oct. 1604.
39. Moniales completo officio, possunt recitare aliquem psalmum, orationem, vel Collectam: quia hoc non est officio addere. 12. Jan. 1600.
40. Moniales, quæ Breviario Romano uti consueverunt, non sunt compellendæ ad recipiendum Monasticum. 6. Maii 1622.
41. Moniales ipsæ tenentur legere, vel cantare cantu firmo officium, non

Rrrr

ve-

- verò eorum Capellani. 11. Maii 1635.
42. Nomine processionum generalium comprehendunt Rogationes. 12. Martii 1601.
43. Musica non decet in officio Quadragesimali, præsertim cum instrumentis: & si est occasio alicujus scandali. 27. Martii 1601.
44. Sacerdoti Missam novam celebranti licet oblationes accipere, modo non discedat ab altari. 1. Oct. 1611.
45. Dignitatibus hinc inde distributis in Choro incensentur eæ cum Canonicis ab una parte: deinde aliæ cum aliis Canonicis ab altera parte, non verò Dignitates omnes simul ante omnes Canonicos. 7. Dec. 1601.
46. Archidiaconus sustinens baculum Episcopi thurificandus est post Diaconos assistentes, ubi non adsit contraria consuetudo. 28. Aprilis 1607.
47. Assistens Presbyter debet Episcopum thurificare ad Sedem, quicumque ille sit, non verò Diaconus Evangelii. 19. Maii 1607.
48. Absente Episcopo thurificandus est celebrans triplici ductu. 30. Jan. 1616.
49. Finito Evangelio Missæ solemnisi, cui assistit Episcopus cum cappa, thurificandus est celebrans, non verò Episcopus. 4. Aug. 1663.
50. Canonici in Dominicis singulatim aspergendi sunt aqua benedicta, non verò unico ictu in circum. 20. Dec. 1601.
51. Non est impedienda devotio ad Imagines Sanctas. 17. April. 1602.
52. Canonici tenentur in choro psallere: alias non satisfaciunt obligationi suæ. 20. Apr. 1602.
53. Canonici debent cantare alta voce: sed non potest eos Episcopus cogere. 13. Nov. 1602.
54. Assistentia, quæ fit ad Missam, & Vesperas, fiat cum plubiali. 3. Aug. 1602.
55. Qui assistit in choro Missæ Conventuali non potest portare pelecolum per totum Canonem: in aliis verò Divinis Officiis uti potest. 5. Nov. 1602.
56. Missa Conventualis canenda est quotidie in Collegiatis, quarum Clerus est numerosus, & reditus non tenuis. 14. Jan. 1603.
57. Tenentur omnino Canonici ad cantandam Missam de die, ut lucentur distributiones. 28. Jan. 1612.
58. Sub nomine festi novem lectionum venit etiam Dominica, ideoque non est feria prima et si in ea occurrerit festum duplex, in Cathedralibus, & Collegia-

- tis canendæ non sunt duæ Missæ. 12. Martii. 1618.
59. Non potest omitti altera ex duabus Missis cantandis ob celebrationem Capituli Canonicoorum. 16. Maii 1626.
60. Ob Missam votivam, seu pro defunctis non est omittenda Missa Conventualis: neque potest introduci consuetudo in contrarium ritum, salva semper Rubrica de votivis assignatis singulis diebus in fine Missalis. 16. Jan. 1627.
61. Potest Episcopus cogere Canonicos, ut à Capellanis in Quadragesima cantari faciant cum Diacono, & Subdiacono. 17. Jul. 1627.
62. Abrogatur omnis consuetudo non cantandi Missam de die ultra votivam, seu pro defunctis. 28. Aug. 1628.
63. Si infra hebdomadam passionis occurrerint dies Infraoctavam apud privilegiatos, tam in Missa Conventuali de Feria, quam in privatis de Octava, vel etiam de eadem feria, omittenda est tertia Oratio *Ecclesie*, vel *pro Papa*. 22. Nov. 1639.
64. Licet in illis Ecclesiis, in quibus adest in veterata consuetudo cantandi Missam votivam de Beata Maria singulis diebus Sabbati, possit hic pius usus, seu Populorum devotio continuari, etiam in Sabbatis festo duplici impeditis, non est tamen omittenda Missa Conventualis. 2. Dec. 1684.
65. Sacerdos, qui celebrat Missam Conventualem, in qua chorus tenetur cantare symbolum, non potest illam prosegui eo tempore, quo à choro cantatur symbolum prædictum. 17. Dec. 1695.
66. Non est facienda altaris thurificatio in Missa Conventuali dierum solemnium, si absque cantu, & Ministris celebratur. 22. Jan. 1701.
67. Qui sunt de gremio alicujus Ecclesie debent recitare officium, quod in choro dicitur. Et licet extra Ecclesiam, vel Diocesim morerentur, decet eos recitare officium proprium Ecclesie ipsorum. 8. Sept. 1602.
68. Clerici, licet adscripti alicui Ecclesie, & ejusdem servitio, non tamen obligati choro, & quicumque alii Clerici Sæculares, Regularesve in Civitate, vel Diocesi commorantes, non tenentur recitare officia propria Sanctorum illius Diocesis, vel quæ de consuetudine in eadem Ecclesia recitantur in choro. 8. Sept. 1602.
69. Episcopus Regularis debet officium recitare juxta ritum suæ Diocesis, non verò Regulæ. Et occurrente festo Re-

- gula in festo Diocesis, hoc erit præferendum. 11. Jun. 1605.
70. Capellanus Episcopi, qui cum eo recitat officium, debet se illi conformare. 11. Jun. 1605.
71. Intra clausuram omnino prohiberi debet celebratio Missæ, etiam ad communicandas infirmas, non obstante antiquissima consuetudine. 1. Dec. 1601.
72. Abusus antiqui in processionibus tollendi sunt cum magna cautela, ne majora scandala sequantur. 11. Maii 1603.
73. Septimum candelabrum adhibeatur in Missis tantum Episcopi solemnibus, sed non defunctorum. 19. Maii 1607.
74. Anniversaria, & Missæ de Requiem, certo die dici debent: eo impedito transferri possunt in sequentem. 19. Maii 1614.
75. In festo duplici non sunt dicendæ Missæ votivæ privata, aut de Requiem. 5. Aug. 1662. quod intelligendum est etiam de festo duplici translato.
76. Non sunt transferendæ Missæ privata de Requiem, quæ ex benefactorum præscripto celebrandæ incidunt in festum duplex: sed dicendæ sunt de festo occurrente cum applicatione sacrificii juxta mentem benefactorum. 5. Aug. 1662.
77. Anniversaria, & Missæ de Requiem, quæ ex dispositione Testatorum cum cantu sunt quotannis celebrandæ possunt cantari, etiam si ipsorum obitus dies inciderit in festum duplex majus. 22. Nov. 1664.
78. Missæ de festo duplici celebratæ in altari animabus perpetuo privilegiato, & in quo proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ essent Missæ de Requiem ex obligatione, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis juxta formam privilegiorum. 22. Jan. 1667.
79. Sacerdotes, sive Capellani, sive non, qui recitant officium semiduplex, simplex, vel feriale, si celebrent in aliqua Ecclesia Regularium, in qua fit de festo duplici, non debent dicere Missam de Requiem. 9. Jun. 1668.
80. Decretum, de quo supra num. 78. extenditur etiam ad altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus: ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiata: ac proinde Missæ de festo duplici, quæ sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrantur, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis. 23. Sept. 1669.
81. Durante expositione SS. Sacramenti non potest regulariter celebrari Missa de Requiem: neque cantari pro adimplenda mente Testatoris, sive Anniversario satisfaciendo: licet currat officium hujusmodi Missas admittens. 2. Dec. 1684.
82. Cum primum habita fuerit notitia de obitu alicujus personæ, cantari poterit Missa de Requiem, etiam in festo duplici, quod non sit de præcepto: nam in hoc casu prædicta Missa erit differenda. 4. Maii 1686.
83. Decreta superius posita num. 78. & 80. licet comprehendant tantum festa duplicia intelligenda tamen sunt etiam de diebus Infraoctavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi: & de omnibus aliis diebus, quibus juxta Rubricas non possunt celebrari Missæ Defunctorum. 2. Apr. 1688.
84. In Vigilia Epiphaniæ omnino prohibentur Missæ votivæ privata, & de Requiem. 27. April. 1697.
85. Cineres distribuendi in feria quarta post Dominicam Quinquagesimæ debent esse aridi, non verò in modum lutii. 23. Maii 1603.
86. Si processio Littaniarum majorum terminetur ad Ecclesiam S. Marci, cantetur ibi Missa de S. Marco: non verò de Rogationibus. 23. Maii 1603.
87. Vesperæ defunctorum pro prima die mensis possunt dici post Vesperas Dominicæ, vel festi. 23. Maii 1603.
88. Assistentes Episcopo, licet minus digni, præferuntur omnibus aliis, & ante Dignitates thurificantur. 23. Maii 1603.
89. Non tenentur omnes Canonici associare Episcopum ab eo altari, in quo Missam planam celebravit, usque ad Sedem Episcopalem, si assistere voluerit Missæ Conventuali. 5. Jul. 1603.
90. Consuetudo, ut Dignitates, & Canonici mitram, gremiale, baculum, thuribulum, & similia ministrent Episcopo est servanda. 5. Jul. 1603.
91. Episcopus non debet in Ecclesia salutare Canonicos aperiendo caput, sed benedicendo manu. 10. Jan. 1604.
92. Dignitates, quæ habent præbendas cum onere cantandi Evangelium, seu Epistolam, non tenentur ministrare inferioribus. 10. Jan. 1604.
93. Episcopus interesse voluerit Horis Canonicis, statuere debet certam adventus sui horam, qua elapsa, poterit inchoari officium. 11. Jan. 1605.

94. Diaconus, & Subdiaconus accipiunt pacem ab Episcopo celebrante, statim post Diaconus assistentes. 15. Mart. 1608.
95. Duorum Canonicorum assistentia semper convenit Episcopo, sive celebret ipse, sive existat Divinis. 10. Mai. 1608.
96. Dignitates tenentur associare Episcopum cum Canonicis ex debito, licet Ceremoniale Episcoporum nominet tantum Canonicos, ubi non adsit contraria consuetudo. 10. Jan. 1609.
97. Archidiaconus non potest assistere Episcopo in habitu Prælati non choralis, licet sit Protonotarius. 6. Mart. 1610.
98. Canonici parati assistentes Episcopo præcedunt Vicarium Generalem, & sunt ante ipsum thurificandi. 6. Mart. 1610.
99. Canonici parati debent habere locum etiam à Decano. 26. Jun. 1610.
100. Canonici Missam celebrantes coram Episcopo non debent sedere in sede cum postergali, sed in scamno oblongo tapete, vel panno cooperto in latere Episcopali. 19. Maii 1614.
101. Archidiaconus, si est prima Dignitas, debet facere officium Presbyteri assistentis. Si est Sacerdos, & recussans, cogendus est poenitens, & censuris. 28. Mai. 1616.
102. Prima Dignitas debet assistere Episcopo celebranti, licet sit unica. 12. Decemb. 1620.
103. Soli Canonici debent facere consuetos circulos ante Episcopum, non autem Vicarium Generalem. 28. Sept. 1634.
104. Licet Episcopus non celebret, sed tantum assistat, Missæ solemniter celebrans debet ad confessionem respondere Episcopo usque ad *Indulgentiam* inclusive, non verò simul cum illo dicere *In nomine Patris*. 4. Aug. 1663.
105. Ubi adest inveterata consuetudo recitandi in choro Psalmos Poenitentiales feriis quintis Quadragesimalibus post Completorium, & Psalmos Graduales in feriis tertiis ejusdem temporis eodem loco retineri potest. 2. Aug. 1603.
106. Non est relinquendum officium debitum pro officio devotionis. 29. Nov. 1603.
107. In Ecclesia Collegiata exempta, præsentate uno Canonico cum Episcopo, & Abbate Collegiata ejusdem cum suis Canonicis, prius incensetur Canonici, deinde Abbas. 7. Februar. 1607.
108. In eodem Palatio non conceditur, nisi unum Oratorium privatum. 4. Mai. 1604.
109. Non potest Abbas extra suam Eccle-

- siam uti mitra, & baculo: neque eam se deferre. 17. Jul. 1604.
110. Abbati celebranti unica tantum mitra conceditur. 29. Jan. 1628.
111. Missa solemniter Abbatis tunc in anno ad summum est canenda: non tamen cum septem, sed cum sex candelabris, & cum abaco parvo. 29. Jan. 1628.
112. Baldachium Abbatis sine auro sit, & tunc in anno ad summum adhiberi potest. 29. Jan. 1628.
113. De licentia Ordinarii poterit Abbas uti mitra, & baculo extra proprias Ecclesias. 6. Dec. 1631.
114. Titulus antiquus Ecclesiæ mutari non potest à confraternitate. 26. Octob. 1604.
115. Missæ ad satisfaciendum elemosynis alicui Ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exterius, ubi commodè possunt satisfieri per Sacerdotes ejusdem Ecclesiæ. 28. Jan. 1606.
116. Non potest Episcopus extendere ad suam Diocesim officium illud, quod fieri solet in Civitate. 16. Jan. 1607.
117. *Gloria in Excelis cum Credo* omittitur in votivis pro re gravi, si violata adhibeantur paramenta. 19. Mai. 1607.
118. Res gravis pro licita votivæ solemniter decantatione cum *Gloria*, & *Credo*, ea est, pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo: vel apud Regularitas in eorum Communitis Generalibus, seu Provincialibus, cum cantatur Missa pro re eorumdem judicio gravi. 19. Mai. 1607.
119. Canonici Ecclesiæ Collegiatae non debent in processionibus incedere parati, sicut Canonici Cathedralis. 19. Mai. 1607.
120. Cereus Paschalis regulariter accendendus est à Missis, & Vesperis solemnibus in triduo Paschalis, in Sabbato in Albis, & in Dominicis usque ad Ascensionem: in aliis servanda est locorum consuetudo. 19. Mai. 1607.
121. Servanda est consuetudo, qua recitatur in choro Officium Parvum B. Virginis Mariæ in semiduplicibus, & Dominicis, non obstante Bulla S. Pii V. nam ibi dicitur: *sine præjudicio sanctorum consuetudinis*. 1. Sept. 1607.
122. Ad invitatorium, antiphonas, responsoria, & versiculos in Officio Parvo B. Mar. Virg. non additur *alleluja* tempore Paschali. 18. Mart. 1626.
123. Etiam mutato proprio Breviario, & Romano acceptato, retinenda est ea consuetudo recitandi quotidie Officium Parvum B. V. Mariæ. 2. Jan. 1627.

124. In Ecclesiis Titularibus B. M. V. facienda est in suffragiis Commemoratio de eadem B. Maria, non obstante quod in choro recitetur ejusdem Officium Parvum. 13. Jun. 1684.
125. Coadjutor Episcopi non sedet celebrans, nisi in faldistorio: neque habet Diaconos assistentes, neque Canonici parantur, neque ponitur septimum candelabrum. 1. Sept. 1607.
126. Prædictus Episcopi coadjutor non utitur baculo, nisi in ordinationibus. 1. Sept. 1607.
127. Coadjutor Episcopi celebrans præter Diaconum, & Subdiaconum debet habere assistentem Canonicum pro libro. 7. Aug. 1627.
128. In altari privati Oratorii, cui conceditur celebratio Missæ, non potest tamen celebrari in Natali Domini, Epiphania, prima die Paschatis, & prima Pentecostes, Annuntiatione, Assumptione B. V. Mariæ, in festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, nec in solemnitate omnium Sanctorum. 17. Nov. 1607. quibus adde Sabbatum Sanctum.
129. Ecclesia Parochialis in Diocesi venit sub nomine Matricis, antequam idcirco, neque Regularitas, neque Confratritas possunt campanas pulsare in Sabbato Sancto. 9. Febr. 1608.
130. Etiam si Collegiata habeat omnimodam præcedentiam supra Matricem, non tamen potest prius pulsare campanas in Sabbato Sancto. 23. Febr. 1619.
131. Simplex reconciliatio Ecclesiæ, seu Cæmeterii non consecrati, potest committi Presbytero in Dignitate constituto. 9. Febr. 1608. Imo simplici Sacerdoti juxta Rituale Romanum.
132. Prima Dignitas det candelam Episcopo in festo Purificationis B. V. M. & Episcopus det statim primæ Dignitati ante Vicarium Gen. 14. Jun. 1608.
133. Omnes de Clero, etiam Canonici, Eucharistiam sumant de manu celebrantis in feria quinta in Coena Domini. 17. Sept. 1608.
134. Sacerdotes in diei Coenæ Dominicæ Sanctissimum Christi Corpus sumpturi, possunt deferre stolam, vel ante pectus ad formam crucis, vel à collo pendentem. 30. Sept. 1679.
135. Occurrente festo S. Josephi in feria 5. in Coena Domini, antiquus mos communis Cleri in Missa solemniter ejusdem diei summa Religione hæcenus retentus nullatenus omitatur ob aliquarum celebrationem Missarum. 13. Sept. 1692.
136. Si festum S. Josephi venerit in feria quinta in Coena Domini, non solum servandum erit præceptum vacandi ab operibus servilibus, sed etiam præceptum audiendi Missam, idcirco per Ordinarios locorum accuratè providendum, ut eo die aliquæ Missæ privatæ ante celebrationem solitæ Missæ Conventualis non desint. 13. Sept. 1692. Idem dicendum, si festum Annuntiationis occurrerit in prædicta feria quinta.
137. In choro teneri non debent aliæ Imagines, quam Sanctorum. 7. Aug. 1609.
138. Neque Abbates, neque Regularium Superiores possunt benedicere paramenta Ecclesiarum non sibi subditarum. 24. Aug. 1609.
139. Neque simplices Sacerdotes, neque Protonotarii possunt benedicere proprias vestes. 17. Jul. 1627.
140. Commendatario, seu ejus Procuratori non defertur liber osculandum in Missa. 17. Sept. 1611.
141. Collegiata insignis ab ejus erectione præcedit alias Collegiatas antiquiores. 24. Mart. 1612.
142. Inferiores Episcopo non debent sumere de altari paramenta pro Missa. 7. Julii. 1612.
143. Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet non obstante Constitutione Synodali, dummodo habeat solitum Reliquiarum repositorium. 1. Nov. 1612.
144. Solus Episcopus potest habere fenestras in Ecclesia, per quas in eam prospectus haberi possit. 19. Jan. 1614.
145. Potest Episcopus prohibere, ne campanæ nondum benedictæ, pulsantur. 5. Jul. 1614.
146. Non debent Regulares in Canone nominare Superiores suos, ut Antistetes. 12. Nov. 1615.
147. Regularium Superiores non veniunt sub nomine Ordinariorum, & consequenter non possunt assignare aliquam ex Dominicis Nov. per recitatione Officii de Patrocinio B. V. M. quod multis in locis permittitur celebrandum in aliquo die Dominico illius mensis à locorum Ordinariis eligendo. 22. Jan. 1701.
148. Clavis Hostiæ repositæ in feria quinta Coenæ Dominicæ non est danda laico, quamvis nobili. 30. Jan. 1616.
149. Canonici hebdomadarius officium faciendi debent habere locum super omnes Dignitates, & Canonicos. 17. Junii 1616.
150. Prima Sedes in Choro conceditur heb.